

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Supplementum omnium eorum, quae in veteri Breviario
Einsidlensi desiderantur quaeque per Novissimam Bullam
Clementis XII [...] sub regula s. P. Benedicti in tota
Germania militantibus die Nov. 1787 ...**

Klemens <XII., Papst>

[Ettenheimmünster], 1738

Aprilis

[urn:nbn:de:bsz:31-120349](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-120349)

APRILIS.

Feriâ Sextâ

post Octav: Paschæ.

Festum Sacræ Lanceæ, et Cla-
vorum Domini. Duplex II. Classis
pro tota Germania.

*In quâ feriâ 6. officio sui ceteris transferretur ad alia fer. 11.
intra tempus Paschale hui.*

In 1. Vesp: Antiphona: Hasta Regem cum
reliquis ex Laudibus. Psalmi de Dominica

Capitulum. Sap. 5. d.

Sumet Dominus scutum inexpugnabile æ-
quitatem, acuet autem duram iram in Lan-
ceam, et pugnabit cum illo orbis terrarum
contra insensatos.

R. br. Christe Fili Dei miserere nobis.

* Alleluia alleluia. Christe. V. Qui vul-
neratus es pro nobis. * Alleluia alleluia.
Gloria Patri. Christe Fili.

Hymnus.

Pange lingua gloriosæ
Lanceæ præconium.

Aprilis.

129.

Quæ reclulit generosæ
Cataractæ fluvium,
Passo Christo dolorosè
Pro salute gentium.

Halta gazis præoptata
Mundi pandit pretium
Cordis tactu præparata
Fit sagitta fortium,
Arma Clavi sunt beata,
Contra vires dæmonum.

Dulcis hasta Dei latus
Spoliasti Sanguine,
Dulces clavi, qui reatus
Expurgatis flumine,
Ut sit mundus emundatus
Et sanatus vulnere.

Halta fulcit viatores,
Et timentes animat,
Et ostensio bellatores
Cordis succo roborat
Clavus firmat, et dat rores,
Puffillosque recreat.

IESU victor inferorum
 Qui triumphas Lanceâ,
 Et virtute qui clavorum
 Restaurasti omnia.

Fac, ut horum nos armorum
 Muniant præsidia. Amen.

V. Accipiet armaturam zelus illius, alleluia.

R. Et armabit Creaturam ad ultionem inimicorum alleluia.

Ad Magnificat Antiphona.

Gaude pia plebs iustorum, omne genus Germanorum tantis de muneribus: Nam Clendia salutis tibi dedit Rex virtutis suis de vulneribus; Clavos, Lanceam, et Crucem, ut sequaris Christum Ducem, Alleluia.

Oratio.

Deus, qui in assumptæ carnis infirmitate clavis affigi, et Lanceâ vulnerari pro mundi salute voluisti: concede propitius; ut, qui eorundem Clavorum et Lanceæ solennia

Aprilis.

131.

veneramur in terris, de glorioso Victoriæ
tuæ triumpho gratulemur in cœlis. Qui
vivas, et regnas cum Deo Patre ꝑ.

Ad Matutinum Invitatorium.

Cœlestis Regis Lanceam venite adoremus,
* Et pro Clavis eius Christo iubilemꝰ alleluia.

Hymnus.

Paschali iubilo sonent præcœnia

Armorum Domini, per quæ victoria

Venit Christicolis, sint in memoria

Crux, Clavi, et Lancea.

Crux apud inferos spoliat tartara,

Lancea superis tribuit præmia,

Clavi consociant Cœlos, et infima

Fletum mutant lætitiâ.

Clavus dum figitur in Dei manibus,

Et dum demergitur in sacris pedibus

Halta dum fodicat latus hominibus

Manat gratiæ fluvius.

Lancea sæviens in Dei pectore

Et inde proferens aquam cum sanguine

Mundum lætificat impetus flumine
 Omnes ad aquas currite.
 Te Summa Deitas Coelum magnificat
 Ordo Seraphicus laudibus insonat,
 His noster pariter cœtus se misceat,
 Et in sæcula te canat. Amen.

In I. Nocturno.

Ana. Exaltatus Crucis ligno dum Christus
 occubuit: Lanceatus à maligno hoste nos e-
 ripuit Alleluia.

Psalmi: Beatus vir. lxxx. Quare fre-
 muerunt. Cum invocarem. Verba mea au-
 ribus. Domine Dnus noster. ^{ca. 1. n. 1. de com. conf. d. 1. 1.} Domine quis
 habitabit. lxxxv. ^{ca. 2. n. 1. com. d. 1. 1.}

Absolutio:
Exaudi Dne *v.* Tuam Lanceam adoramus Dne Alleluia.
Benedict: *R.* Tuam gloriosam Passionē recolimus Alleluia.
Benedictione perpetua

Lectio 1.

Cap. 9. d. De libro secundo Paralipoménon. ^{cap. 9. d.}
 Fecit igitur Rex Sálomon ducentas hastas de
 summa sexcentorum aureorum, qui in singulis
 hastis expendebantur. Trecenta quoque scu-
 ta aurea trecentorum aureorum, quibus te-

Aprilis.

133.

gebantur singula scuta: posuitque ea Rex in armamentario, quod erat consitum nemore.

Rx. Videte gloriosa loca Clavorum, et latus meum Lanceam perforatum pro salute mundi.

* Palpate, et videte, quia ego ipse sum alleluia alleluia. V. Verè languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit. * Palpate, et videte.

— unigenitus Dei Filius p
Lect: II.

De libro Sapientiae.

Cap. 5. c.

Et accipiet armaturam Zelus illius, et armabit creaturam ad ultionem inimicorum, induet pro thorace justitiam, et accipiet pro galea iudicium certum. Sumet scutum inexpugnabile æquitatem. Acuet autem duram iram in Lanceam, et pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos.

Rx. Latus eius aperuit alleluia. Patefecit ostium vitæ. * Alleluia alleluia. V. Ingrediamur illud. * alleluia alleluia.

134.
Spiritus s^{ti} gratia p

Aprilis.

Lect: III.

De Epistola Beati Pauli Apostoli
ad Ephesios. Cap. 6. b.

Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli, quoniam non est colluctatio adversus carnem, et sanguinē, sed adversus Principes et Potestates adversus mundi Rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiae in caelestibus.

Rx. Inter Clavos Christus in Cruce separatus est. * Alleluia alleluia alleluia. xi. Et in sancta resurrectione mundus in eius laudibus vigilavit. * Alleluia p.

In unitate S. Spiritus p

Lect: IV.

Propterea accipite armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo, et in omnibus perfecti stare. State ergo succincti lumbos vestros in veritate, et induti lorica[m] Justitiae, et calceati pedes in praeparationem Evangelii pacis, in omnibus sumentes scu-

tum fidei, in quo possitis omnia tela ne-
quissimi ignea extinguere: et galeam salutis
assumite, et gladium Spiritus, quod est verbū
Dei. *R.* Nos autem gloriari oportet in Lan-
cea Domini nostri IESU Christi, in quo est
salus, vita, et resurrectio nostra; * Per quē
salvati, et liberati sumus Alleluia. *V.* Tuam
Lanceam adoramus Domine, et recolimus
tuam gloriosam passionem. * Per quem. Glo-
ria Patri. * Per quem.

In II. Nocturno.

Ana. Tuam Lanceam † adoramus Domine,
et tuam gloriosam Passionem recolimus, Alle-
luia.

*Psalmi ut in 2^{do} Nocturno In-
ventionis S. Crucis. f. 602. seu die 3. Maii.*

V. Verè languores nostros Ipse tulit Alleluia.

R. Et dolores nostros ipse portavit Alleluia.

Lectio V. ♀

Sermo Innocentii Papæ Sexti.
In Redemptoris nostri IESU Christi sacratissima

In Decreto de
Festo Lanceæ,
et Clavor. Dñi.

*Pasione sic nos gloriari oportet, ut ipsius Pas-
sionis cuncta Mysteria dinumerantes et
merita, singulis etiam eius salutaribus instru-
mentis gloriemur. Inter quæ illud celebri-
ter memorandum est, quod Ipse Salvator
emisso in Cruce iam Spiritu, sustinuit per-
forari lancea latus suum, ut inde sanguinis,
et aquæ profluentibus undis formaretur u-
nica, et immaculata, ac Virgo sancta Ma-
ter Ecclesia Sponsa sua. O beatissima
ipsius sacri Lateris apertura, unde nobis
tot, et tanta divinæ pietatis dona fluxe-
runt! O felix Lancea, quæ tot bona no-
bis efficere, et ad tanti triumphus gloriam
meruit superaddi!*

*℞ Surge Virgo Ecclesia, Sponso redde
munia: tui Clavi gravia imprimunt vesti-
gia, per quæ ruit infernalis Sisara. * Nam
clavum Iahel malleo fixit in eius tempora.*

Aprilis.

137.

Alleluia, alleluia. *V.* Dulces clavi pungi-
te corda nostra. * Nam clavum.

LECT: VI. — *Chrus perpetua p*

Hæc Latus ipsum aperiendo sacratissimas
januas nobis Regni coelestis aperuit. Hæc
vulnerando iam mortuum, vulnera nostra
sanavit, vitamque nobis reddidit, et salutē.

Hæc innoxium transfigendo illius sangui-
ne culpas nostras absterjit, et demum eius-
dem sacratissimis undis irrigata, cæcitatē
nostræ tenebras sustulit, et nos ipsius divinæ
Pietatis fluvii mandavit.

R. Hasta nitet margaritis nimis corus-
cantibus * alleluia alleluia alleluia. *V.* Mu-
cro gemmis infinitis, sanguine vernantibus.

* alleluia. — *Ignem sui amoris p*

LECT: VII.

Illi etiam dulces Clavi, quibus ipse Salvator eidē
Cruci fuit affixus, quique non solum immacu-
lato respergi sanguine, et molem ferre tanti

ponderis meruerunt, sed et nos etiam per
 ipsorum salutiferas plagas dulcedinem tan-
 tam ipsius divinæ Charitatis accepimus,
 ut manus nostræ à peccati solutæ nexibus,
 pedesque nostri à mortis laqueis fuerint
 liberati, sunt devotissimè recolendi.

R. IESUS nostra spes suavis ab ube-
 ribus * Alleluia, alleluia, alleluia. V. Pro
 nobis fossus Clavis, in palmis, atque pedi-
 bus. * Alleluia.

à cunctis vitiis.

Lect: VIII.

Quid enim vulnere, et plagis huiusmodi
 sanctius? quid eis salubrius, ex quibus
 salus nostra processit, et in quibus assi-
 duè se possint curare animæ devoto-
 rum? licet igitur Lancea, et Clavi
 prædicti, aliæque ipsius Passionis sa-
 lutaria instrumenta sint à cunctis
 fidelibus Christi ubilibet veneranda,

et de ipsa etiam Passione in eadem Ecclesia solemnia annis singulis officia celebrantur, et fiant: dignum tamen, et conveniens reputamus, si de ipsius Passionis specialibus instrumentis, et præsertim in partibus, in quibus instrumenta ipsa dicuntur haberi, solemne, ac speciale Festum celebretur, et fiat. Nosque illos fideles Christi, qui aliqua ex instrumentis ipsis habere se gaudent, in eorum devotione, Divinis Officiis, atque muneribus specialiter foveamus.

R. Dulce lignum, dulces clavos, et Lanceam, dule pondus sustinuit: * Quæ sola digna fuit portare pretium huius sæculi alleluia. V. Signum Lanceæ erit in Cælo cum Dominus ad iudicandum venerit. * Quæ sola. Gloria. * Quæ sola.

140.

Aprilis.
In III. Nocturno

Ana. Tu Christe nostrum gaudium,
de lanceato Latere da roris mellici-
dium ardenti corde sugere Alleluia.

Fut in 3. Noct: Inven-
tionis S. Crucis.
seu

Canticum Habacuc: Domine audivi
auditionem tuam: * et timui. Ex Psalt.
feria 6. ad Laudes. Ad q̄ huiusmodi
signum fit divisio, et dicitur Gloria Patri.

q̄
absolut:
à vinculis p̄
Bened:
Evangelica
lectio p̄

V. Omnis terra adoret te, et psallat
tibi Alleluia. R. Psalmum dicat
nomini tuo Alleluia.

q̄ Lect: IX.

Cap. ig.

Lectio Sancti Evangelii secun-
dum Ioannem.

In illo tempore sciens IESUS, quia om-
nia consummata sunt, ut consumaretur
Scriptura, dixit: Sitio. Et reliqua

Tract. 120.
in Ioan.

Homilia S. Augustini Episcopi.
Unus militum Lanceâ Latus eiq̄ aperuit,

et continuo exivit sanguis, et aqua. Vigilanti verbo Evangelista usus est, ut non diceret: Latus eius percussit, aut vulneravit, aut quid aliud; sed aperuit, ut illud quodammodo vitæ ostium panderetur, unde sacramenta manaverunt, sine quibus ad vitam, quæ vera vita est, non intratur. Ille sanguis, qui fusus est, in remissionem fusus est peccatorum. Aqua illa salutare temperat poculum, hæc et lavacrū præstat, et potum. Hoc prænuntiabat, quod Noë in latere Arcæ ostium facere iussus est, quo intrarent animalia, quæ non erant diluvio peritura, quibus figurabatur Ecclesia.

R. Vibrans miles Lanceam acutissimã, aperuit Templum Sanctum gloriæ Dei,
* In quo habitabat plenitudo divinitatis
alleluia, alleluia. V. Ibi abscondita est

fortitudo eius : ante faciem eius ibit

Ille nos benedicat ^{mors. * In quo.}

Lect: X.

Propter hoc prima mulier facta est
de latere viri dormientis, et appella-
ta est vita, materque vivorum, mag-
numque signavit bonum ante magnū
prævaricationis malum: et secundū Adā
inclinato capite in Cruce dormivit, ut
inde formaretur ei coniux, quæ de la-
tere dormientis effluxit. O mors, unde
mortui reviviscunt! quid isto sanguine
mundius? quid vulnere isto salubrius?
facta enim sunt hæc, inquit, ut scrip-
tura impleretur: Os non cominuetis
ex eo. Et iterum alia scriptura dicit:
Videbunt, in quem transfixerunt.

R. Tuam Lanceam adoramus Dñe

Aprilis.

143.

alleluia: tuam gloriosam recolimus Pas-
sionem * Alleluia, All: All: X. Hasta
Regem gloriæ cruciavit Christum.

* Alleluia p. *Divinum auxilium p.*
Lect. XI.

Duo testimonia de Scripturis singulis
reddidit, quasi facta fuissent, narravit.
Nam, quia dixerat: ad IESUM autem cum
venissent, ut viderunt Eum iam mortuum,
non fregerunt eius crura; ad hoc perti-
net testimonium: Os non comminuetis
ex eo. Quod præceptum est eis, qui celebra-
re pascha iussi sunt ovis immolatione in ve-
teri lege, quæ Dominicæ Passionis umbra
præceperat.

R. Venit IESUS, et stetit in medio, et
dixit: Pax vobis alleluia. * Et cum hoc
dixisset, ostendit eis Latus et Manus alle-
luia. X. Videbunt in quem transfixerunt,

et plangent eum quasi super Primogeni-
tum. * Et cum.

Ad societatem p Lect: XII.

Unde Pascha nostrum immolatus est
Christus, de quo Isaias Propheta dixerat,
Sicut ovis ad occisionem ductus est. Item,
quia subiunxerat dicens: Sed unus mili-
tum Lanceâ Latus eius aperuit, ad hoc
pertinet alterum testimonium: Videbunt,
in quem transfixerunt. Ubi promissus est
Christus in ea, qua crucifixus est, carne
venturus.

Rx. Foderunt manus meas, et pedes
meos, dinumeraverunt omnia ossa mea.
* Et sicut aqua effusus sum Alleluia. Rx.
Factum est cor meum tanquam cera
liquefscens in medio ventris mei.
* Et sicut aqua. Gloria Patri. *
Et sicut aqua.

Aprilis.

145.

Sequentia Sancti Evangelii
Secundum Ioannem.

In illo tempore: sciens IESUS quia omnia consummata sunt, ut consummaretur Scriptura dixit: sitio. Vas ergo positum erat aceto plenum. Illi autem spongiam plenam aceto, hyssopo circumponentes obtulerunt ori eius. Cum ergo accepisset IESUS acetum, dixit: consumatum est. Et inclinato capite tradidit spiritum. Iudaei ergo (: quoniam Parasceve erat :) ut non remanerent in Cruce corpora sabbato, (: erat enim magnus dies ille sabbati :) rogaverunt Pilatum, ut frangerentur eorum crura, et tollerentur. Venerunt ergo milites: et primi quidem fregerunt crura, et alterius, qui crucifixus est cum eo. Ad IESUM autem cum venissent, ut viderunt eum iam mortuum, non fregerunt eius crura: sed unus

militum Lanceâ Latus eius aperuit, et continuo exivit sanguis et aqua. Et qui vidit, testimonium perhibuit: et verum est testimonium eius.

Oratio.

Deus, qui in assumptæ carnis infirmitate Clavis affigi, et Lanceâ vulnerari pro mundi salute voluisti: concede propitius; ut, qui eorundem Clavorum et Lanceæ solemnità veneramur in terris, de glorioso victoriæ tuæ triumpho gratulemur in caelis. Qui vivis et regnas cum Deo Patre.

AD LAUDES

et per Horas.

Ana. Hasta Regem gloriæ Christum cruentavit, dum crucis in arbore Dominus regnavit. Alleluia.

Psalmi: Dominus regnavit. cum reliquis.

Ana. Hanc tremendam Lanceâ omnes

adoremus, et in eius laudibus semper iubilemus. alleluia.

Ana. Unus militum Lanceâ Latus eius aperuit, et continuo exivit sanguis, et aqua alleluia.

Ana. Fui mortuus, et ecce sum vivens in secula, seculorum alleluia.

Ana. Sempiterna gaudia Christus tunc donavit, cum Clavis, et Lanceâ mortem superavit. alleluia.

Capitulum.

Sap. 5.

Sumet Dominus scutum inexpugnabile
æquitatem: acuet autem duram iram in Lanceam, et pugnabit cum illo orbis terrarum
contra insensatos.

Rx. br. Foderunt manus meas, et pedes meos * alleluia alleluia. Foderunt *p. V.* Dinumeraverunt omnia ossa mea. * alleluia alleluia. Gloria Patri. Foderunt manus meas *p.*

Hymnus.

Verbum supernum prodiens

Salvare quod perierat,

Hastâ, Clavisque moriens

Complevit, ad quod venerat.

O gloriosa Lancea

Timor, tremorque dæmonum

Regna pandis siderea

Per sanctæ necis meritum.

De Clavorum stigmatibus

Emanat mundi pretium

Præ cunctis aromatibus

Spirant odorem cælicum.

In corde Christi mergitur

Macro leone sævior:

De forti fons exoritur

Cibusque melle dulcior.

In Natum Pater phialam

Effudit iracundiæ

Ut nobis cœnam maximam

Gratis suæ det gloriæ.

Aprilis.

149.

O Christe nostrum gaudium
De vulnerato Látère
Da lac, et vinum dépluum
Ardente corde sugere.

Precamur Auct̄or omnium,
Tu nostra sis refectio:
Tuorum perque meritum
Armorum sis protectio. Amen.

℞. Per sanctam Lanceam de inimicis nostris
alleluia. ℞. Libera nos Deus noster Allel.

Ad Benedictus

Añā. O felix, et omni laude digna Lancea
Salvatoris! quæ pertransiens Latus Eius
chirographum peccati affixit patibulo Cru-
cis, alleluia. Oratio ut supra.

Ad Tertiam.

Añā. Hanc tremendam Lanceam.

Capitulum

Sumet Dominus ꝑ ut supra ad Laudes.
℞. Foderunt manus meas, et pedes meos alleluia.
℞. Dinumeraverunt omnia ossa mea alleluia.

Aprilis.
Ad Sextam.

An̄a: Unus militum.

Capitulum. Apoc. i.

Gratia vobis, et pax ab eo, qui est, et qui erat, et qui venturus est, et à IESU Christo qui est testis fidelis, primogenitus mortuorum, et princeps Regum terræ: qui dilexit nos, et lavit nos à peccatis nostris in sanguine suo.

V. Quem tu percussisti, persecuti sunt, Allel.

R. Et super dolorem vulnerum meorum addiderunt, alleluia.

Ad Nonam.

An̄a. Sempiterna gaudia.

Capitulum. Apoc. i.

Ego sum primus, et novissimus, et vivus, et fui mortuus, et ecce sum vivens in secula seculorum.

V. Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras alleluia. R. Auritus est propter scelera nostra alleluia.

Aprilis.

isi.

- „ Missa propria. cum Gloria, Credo, Præf: de
- „ Cruce. Vel accipi potest Missa Votiva de Passio-
- „ ne Domi: cum Gloria, Credo. Col. Rub.

In II. Vesperis

Omnia ut in primis, præter ea, quæ sequuntur:

R. br: Quem tu percussisti, persecu-
ti sunt * alleluia alleluia. Quem tu p
X. Et super dolorem vulnerum meorū
addiderunt * alleluia alleluia. Gloria.
Quem tu.

Ad Magnificat

Ana. Collaudemus Christi Clementiam
qui per gloriosos Clavos et Lanceam
dat Ecclesiæ de inimicis victoriam, et
in Cælo vitā, et Coronā perpetuā alleluia.

Die 4. April.

S. Isidori Ep. et Conf. dup.

Ad Magnificat in utrisque Vesp: ò Doctov.

Oratio: Deus qui populo p de Comuni.
In i. Noct: Lect: Sapientiam. de Comm: Doct:

9
Absolutio 152.
Ipsius pietas
Benedict.
Deus Pater

Aprilis.

In II. Noct. Lect. V.

Isidorus natione Hispanus Doctor egregius ex nova Carthagine Severiano Patre provinciae Duce natus, à Sanctis Episcopis Leandro Hispalensi, et Fulgentio Carthaginensi fratribus suis piè et liberaliter educatus, latinis, græcis, et hebraicis literis, divinisque et humanis legibus instructus, omni scientiarum, atque Christianarum virtutum genere præstantissimus evasit. Adhuc adolescens hæresim Ariánam, quæ gentem Gothorum Hispaniæ latissimè dominantem iam pridem invaserat, tantâ constantiâ palam oppugnavit, ut parùm abfuerit, quin ab hæreticis necaretur. Leandro vitâ functo ad Hispalensem cathedram invitus quidem, sed urgente inprimis Reccaredo Rege, magnoque etiam cleri

Aprilis.

153.

Populique consensu assumitur, eiusque electionem sanctus Gregorius magnus nedum auctoritate Apostolicâ confirmasse, sed et electum transmissio de more pallio decorasse, quin etiam suum, et Apostolicæ sedis in universa Hispania Vicarium constituisse perhibetur.

Rx. Inveni David p. f: 31.

Lect: VI.

In Episcopatu quantum fuerit constans, humilis, patiens, misericors, in Christiana et Ecclesiastica disciplina instauranda sollicitus, eaque verbo et scriptis stabilien- da indefessus, atque omni demum vir- tutum ornamento insignitus, nullius lin- gua enarrare sufficeret. Monastici quo- que instituti per Hispaniam promotor, et Amplificator eximius plura construxit

monasteria, Collegia itidem ædificavit, ubi
 studis sacris, et Lectionibus vacans, pluri-
 mos discipulos, qui ad eum confluebant, e-
 rudivit, quos inter sancti Ildephonsus Toletanus,
 et Braulio Casarugustanus Episcopi emicuerunt.
 Coacto Hispali Concilio Acephalorum hæresim Hispaniæ iam minitantes,
 acri et eloquenti disputatione fregit, atque contrivit.
 Tantam apud omnes Sanctitatis et doctrinæ famam adeptus est,
 ut elapsa vix ab eius obitu sextodecimo Anno
 universa Toletana synodo duorum supra
 quinquaginta Episcoporum plaudente, ipsosq;
 etiam sancto Ildephonso suffragante, Doctor egregius,
 Catholicæ Ecclesiæ novissimū decus, in seculorum fine doctissimus, et cum
 reverentia nominandus appellari meruerit:
 eumque Sanctus Braulio non modo Gregorio
 Magno comparaverit, sed et erudien-

Aprilis.

155.

dæ Hispaniæ loco Iacobi Apostoli coelitus
datum esse censuerit.

R. Posui adiutorium p. f. 32.

Leet: VII.

Scriptit Isidorus libros Etymologiarum, et
de Ecclesiasticis Officiis, aliisque quam pluri-
mos Christianæ, et Ecclesiasticæ disciplinæ a-
deò utiles, ut sanctus Leo Papa quartus ad
Episcopos Britannicæ scribere non dubitave-
rit, sicut Hieronymi et Augustini, ita Isi-
dori dicta retinenda esse, ubi contigerit
inusitatum negotium, quod per Cāones mi-
nimè definiri possit. Plures etiam ex eius-
dem scriptis sententiæ inter Canonicas Eccle-
siæ leges relatæ conspiciuntur. Præfuit Con-
cilio Toletano quarto, omnium Hispaniæ
celeberrimo. R. Iste est p. f. 33.

Leet: VIII.

Denique cū ab Hispania Ariānam hæresim

Aprilis.

156.

eliminasset, morte sua et Regni vastatione à Saracenorum armis publicè prænuntiata, postquam quadraginta circiter annos suã rexisset Ecclesiam, Hispali migravit in cœlum anno sexcentesimo trigesimo sexto. Eius corpus inter Leandrum fratrem, et Florentinam sororem, ut ipse mandaverat, primò conditum, Ferdinandus primus Castellæ et Legionis Rex ab Eneto Saraceno Hispali dominante magno pretio redemptum, Legionem transfudit, et in eius honorem Templum ædificatum est, ubi miraculis clarus magna populi devotione colitur.

¶ absolutio.

A vinculis peccatorum p

torum p

Bened: Evangelica

Lectio p

Cap. 5.

R. Iustum deduxit p. f. 35.

In III. Nocturno. ¶

Lectio sancti Evangelii secundum
Matthæum.

In illo tempore: dixit IESUS discipulis suis:
Vos estis sal terræ. Quod si sal evanuerit,
in quo salietur? Et reliqua.

Aprilis.

157.

Homilia S. Isidori Episcopi.

Ex lib. 2. Offic.
ad S. Fulgent.
cap. 5.

Qui in erudiendis, atque instituendis ad
virtutem populis præerit, necesse est, ut in
omnibus sanctus sit, et in nullo reprehensi-
bilis habeatur. Qui enim alium de pecca-
tis arguit, ipse à peccato debet esse alienus.
Nam, qua fronte subiectos arguere poterit,
cum illi statim possit correctus ingerere:
Ante doce te, quæ recta sunt. Primitus
quippe semetipsum corrigere debet, qui a-
lios ad benè vivendum admonere studet,
ita ut in omnibus semetipsum formam vi-
vendi præbeat cunctosque ad bonum opus
et doctrinâ, et opere provocet. Cui etiam
scientia scripturarum necessaria est. Quia,
si Episcopi tantum sancta sit vita, sibi soli
prodest sic vivens. Porro si et doctrina et
sermone fuerit eruditus, potest cæteros quo-
que instruere, et docere suos, et adversarios

repercutere, qui, nisi refutati fuerint, atque convicti, facile possunt simplicium corda pervertere.

Rx. Amavit eum Dominus, et ornavit eum, stolam gloriae induit eum: * Et ad portas paradisi coronavit eum. V. Induit eum Dominus lorica[m] fidei, et ornavit eum. * Et ad.

Ille nos benedicat

Leet: X.

Huius sermo debet esse purus, simplex, apertus, plenus gravitatis, et honestatis, plenus suavitatis et gratiae, tractans de Mysterio legis, de doctrina fidei, de virtute continentiae, de disciplina iustitiae, unumquemque admonens diversa exhortatione, iuxta professionem, morumque qualitatem, scilicet ut pronoscat, quid, cui, quando, vel quomodo proferat.

Rx. In medio Ecclesiae aperuit os eius, * Et implevit eum Dñus spiritu sapientiae et intellectus. V. Iucunditatem, et exultationem thesaurizavit super eum. * Et implevit eum Dominus.

Cuius festum Aprilis.
Lect: XI.

159.

Cuius præ cæteris speciale officium est,
Scripturas legere, percurrere Canones,
exempla sanctorum imitari, vigiliis, ieiuniis,
orationibus incumbere, cum fratribus pacem
habere, nec quemquam de membris suis dis-
cerpere, nullum damnare, nisi comprobatum;
nullum excommunicare, nisi discussum. Qui-
que ita humilitate pariter, et auctorita-
te præesse debet, ut neque per nimiam
humilitatem suam subditorum vitia conva-
lescere faciat, neque per immoderantiam
severitatis potestatem exerceat, sed tanto
cautius erga commissos sibi quanto durius
à Christo indagari formidat.

Rx. Iste Sanctus dignè in memoriam ver-
titur hominum, qui ad gaudium transit
Angelorum: quoniam in hac peregrinatione
Solo corpore constitutus, cogitatione, et avi-
ditate, * in illa æterna patria conversatus est.

N. Vinculis carnis absolutus, talentum sibi creditum Domino suo duplicatum reportavit. * In illa.

Si celebretur in Quadrages. Lect: 12. dicitur de Homil: feriae cum eius Com. in Laud.
Ad societatem Lect: XII.

Tenebit quoque illam supereminentem donis omnibus charitatem, sine qua omnis virtus nihil est. Custos enim castitatis charitas, locus autem huius custodis humilitas. Habebit etiam inter haec omnia castitatis eminentiam, ita ut mens Christo dedita ab omni inquinamento carnis sit munda, et libera. Inter haec oportebit cum sollicita dispensatione curam pauperum gerere, esurientes pascere, vestire nudos, suscipere peregrinos, captivos redimere, viduas, ac pupillos tueri, pervigilem in omnibus exhibere curam, providentiam habere distributione discreta. In

Aprilis.

i6i.

quo etiam hospitalitas ita erit præcipua,
ut omnes cum benignitate, et charitate
suscipiat. Si enim omnes fideles illud E-
vangelium audire desiderant: Hopes fui,
et suscepistis me; quanto magis Episcopus,
cuius diversorium cunctorum debet esse
receptaculum?

Rx. Elegit te Dominus Sacerdotem
sibi, * Ad sacrificandum ei hostiam lau-
dis. X. Immola Deo sacrificium laudis,
et redde Altissimo vota tua. * Ad sacri-
ficandum. Gloria. * Ad sacrificandum.

Evang: de Comuni Doctor: f: CIV.

forz dell' a cap. de seg. con. fode.

Die 13. Aprilis.

Beatae Idæ Virginis duplex.

Oratio.

Deus, qui beatæ Idæ Virginis Corpori tuo-
rum vulnerum stigmata igneo amoris stylo
impresisti: præsta quæsumus eius interces-

*1 april
1. V. de fer. c. 1. 1. 1.
vi. c. 1. in h. m.
quinodie*

sione sic nos tuæ Passionis Mystéria in terris contemplari ; ut redemptionis præmia in caelo mereamur. Qui vivis, et regnas cū Deo Patre.

Absolute

¶ Ipsius pietas p

Deus Pa-
ter omni-
potens p

In Quadragesima Commem: feria.

In II. Noct: Lect: V.

Ida Lovanū in Brabantia honestis parentibus nata, penè infans Missæ sacrificio assistens stellâ quadam fulgidissimâ illustrata fuit. Labore manuum, aspero cilicio, duro lecto, ieiuniis, vigiliis, ac quotidianis flagellationibus tenerum corpus in servitutem redégit. Tentata à dæmone horrendis spectris, teterrimo foetore, concussione conclavis, et illato feretro, munita clypeo Dominicæ Passionis et Eucharistiæ de tartareo hoste triumphavit. A gravi infamia, ex mala suspitione ei iniusta divinitus vindicata, à Puero^{ulo} IESU inter ipsius brachia apparente biduo re-

Aprilis.

163.

creata fuit. Soror illius senior ab inferendis eidem iniuriis coelesti lumine territa est. Corruptum vinum orans pristino vigori restituit, et cervisiam in vinum convertit. Sororem suam iuniorem, repentina morte extinctam, precibus Deo factis, coram pluribus stupentibus ad vitam revocavit, atque virum ex peste semianimem solo suo aspectu sanum reddidit. Modicos panes Dominus eius orationibus quandoque multiplicavit.

Rx. Propter veritatem p. f. 52.

Lect: VI.

Tanto mentis ardore Christi Passionem contemplabatur, ut Dominus quinque vulnerum stigmata manibus, pedibus, ac lateri sanctæ Virginis igneo amoris stylô impresserit adinstar circularum diversi coloris. Per lateris vulnus anhelitum

cum acerba punctione attrahebat, et in signatis locis nullius rei attactum ferebat. Frustrà conata humilis Virgo signacula illa sacra abscondere. Oratione tamen à Deo impetravit, externam illorum apparentiam removeri, doloris sensu remanente. Capitis quoque circumferentiam vehementissimus cruciatus comprimebat, quo corona Christi spinea videbatur portendi. Habitum Sancti Patris Benedicti in Monasterio vallis Rosarum prope Mechliniam induit, et ad perseverantiam in ordine à Domino confortata est. Aegrotata Officium Ecclesiasticum cum socia recitans, illam suavissimo odore, ac sapore replevit. Secreta cordium, et status animarum adhuc in mundo veritatum penetravit. In Extasim rapta, quasi Choro Seraphica immixta,

Aprilis

165.

nobilitatem animæ comprehendit. Literarum ignara novit, quæ latinè dicebantur, atque vidit aureos circulos supra capita Sanctimonialium psallentiū: eique à beatissima Deipara multoties divinus Filius oblatus est.

R. Dilexisti. f. 53.

LECT: VII.

Ex incredibili sacræ Eucharistiæ sumendæ desiderio Sanguinem frequenter emisit, et in eiusdem Sacramenti perceptione, ac in oratione coram Ipso facta tum tempore Missæ, tum in festo Deiparæ assumptæ, et aliis, tum in piis colloquiis splendidissimos radios ex oculis diffudit, ac suavissimum odorem spiravit. Eucharistiâ refici cupiens, nec eam à confessorio ausa petere, ab Angelo allatâ accepit, et quandoque eadem in ipsius os à cæn-

didā columba ingesta est. Inter orandum recitans: Verbum caro factum est, carnis substantiam in ore sensit. Christum Dominum in Eucharistia salutans, ab Ipso resalutata est, audito valido ictu p̄xidi impacto. Eiusdem Venerabilis Sacramenti cœlesti fervore inflammata, vicinos quasi igne externo calefecit. Ex nimia corporis imbecillitate cū ad sacram Mensam p̄rgere non valeret, ad eam à Deipara Virgine, et sancto Ioanne Evangelista deducta fuit.

Rx. Prudentes Virgines pf: 54.

LECT: VIII.

Salvator sub peregrini specie ad eam accēdens, suisque manibus illius pectus reserans, per apertum latus sese totū intra ipsam recepit, ac foris disparuit,

Aprilis.

167.

mirabilibus divinæ gratiæ effectibus
in eiusdem anima exinde secutis. Chri-
sto quasi incorporatam se sentiens, et
ineffabili charitate fervens, eius dulce-
dinem diutiùs servavit. Mœsta, quòd non
plenè Deo fruere'tur, nova consolatione à
Domino excitata, de æterna sua salute
certior facta est. Extra sensus frequen-
ter rapiebatur, ac plures mirabiles éxta-
ses patiebatur, in quibus multis revelatio-
nibus, ac visionibus cœlestibus à Deo de-
corata fuit. Denique divinis charisma-
tibus locupletissima gravissimum in mor-
bum incidit, et Ecclesiasticis Sacramen-
tis roborata inter vitæ æternæ eloquia,
et psallentium Angelorum choros migra-
vit ad Sponsum die decima tertia Apri-
lis anno salutis Millesimo trecentesimo.
Sacrum beatæ Virginis corpus in Ecclesia

publico fidelium honori, ob crebra miracula eius
intercessione facta, auctoritate Ecclesiastica ex-
positum fuit.

R. Afferentur Regi. f: 55.

In 3. Noct: Lect: de 10. Virginibus.

Die 15. April.

S. Hermenegildi Mart: semid.

In Veteri Breviario ponitur die 13. huius. In
Novo Brev: habetur hæc Rubrica: „ Quando Hym-
„ nus Vesperarum non dicitur in i. Vesp. tunc re-
„ citari debet in Matutino, et Hymnus in Matu-
„ tino positus dicatur ad Laudes.

Reliqua ut in Vet: Brev: loco cit: resp. de seq. cum con-
suetudine ad fest. in quibusdam

Die 16. April.

S. Turibii Ep. et Conf: dupl.

Omnia ut in Vet: Brev: Parte Vern: f: CCXXII.

Die 21. April.

S. Anselmi Ep. Conf. et Doct. dup.

Omnia ut in Veteri Breviar: præter sequentia:

*in B. min. deest.
exploratus f. et unum
confutur*

Aprilis.

In II. Noct. Lect. V.

169.

¶ Absolutio

Ipsius pie-
tas, et p

Benedicte

Deus Pater

Anselmus Augustæ Prætoricæ in Italia natus, à pueritia studia literarum sectatus, cum brevi admodum plurimum in eis profecisset, relictâ patria, ad Beccense Monasterium Ordinis S. Benedicti se contulit, ubi præceptore usus Lanfranco cœnobii Priore, viro præstanti religione, et sapientiâ, seculari literaturæ sacram adiunxit, ac in eodem cœnobio vigesimo septimo ætatis suæ anno Monachus efficitur; sed Lanfranco ad Cadomensis Cœnobii regimen assumpto, in eius locum successit Anselmus, sicque ampliorem Deo serviendi nactus occasionem totum se ei muneri, fratrumque necessitatibus impendit. Divinarum interim rerum contemplationi ad eum dedit, fuit, ut obscurissimas, et ante id temporis inauditas de divinitate quæstiones, Deo reserante clarissimè perspexerit, et explicaverit.

Rx. Inveni David servum meum, p. 31.

Lectio VI.

Abstinentiæ, et continentiæ tantæ fuit, ut ab initio Prioratûs illecebra in eo penitus extincta sit, adeò corpus inediâ maceraverat: Somnus illi parcissimus, propter eà quòd, die pro dandis consilijs non sufficiente, noctis bonam addere partem cogerebatur. Deinde quòd, bibliotheca Monasterii libros, qui eo tempore pessimè scripti erant, nocte corrigebat. Demum, quòd in sanctis meditationibus se exercens, lachrymarum imbres fundens plerùmque antè nocturnas vigilias parùm, aut nihil somni capiebat. Emulos quosdam ægrè ferentes, iuvenem sibi, qui seniores in Monasterio erant, in Prioris officio prælatum, adeò humilitate, et charitate vicit, ut ex inimicis sibi benevolos, et amicissimos redderet. Infirmorum domum frequentissimè invisitabat, quæque singulis opus erant, ipse per se ministrabat.

Aprilis.

171.

R. Posui adiutorium p. f. 32.

Leet: VII.

Defuncto Herluino Beccensi abbate, in eius locum omnium suffragis Sufficitur Anselmus, qui, cum pedibus eorum provolutus, ut à se, utpotè indigno id oneris averterent, obsecraret, ab eisdem pariter in terram se prosternentibus, ut absensum præberet, coactus est. Qui mox Monasterii negotiis sollicitudini fratrum, quos ipse strenuos, et idoneos noverat, delegatis, totus eruditioni, admonitioni, et correctioni fratrum, divinæque contemplationi vacare coepit. Hospitum suscipiendorum iuxta præscriptum Regula adeò studiosus fuit, ut nonnunquam cibos de mensis fratrum iusserit auferri, ut hospitibus apponerentur, Deo semper Monachorum indigentia frequentibus miraculis subveniente.

R. Iste est, qui ante p. f. 33.

Mortuo deinde Lanfranco, qui ex Abbate Cadomensi factus fuerat Archiepiscopus Cantuariensis, ei etiam successit Anselmus, magna totius Regni gratulatione Anno millésimo nonagesimo tertio; sed mox dissidio orto inter Wilhelmum Angliæ Regem, Ecclesiæ iura iniquè sibi vindicantem, et Anselmum Ecclesiæ libertatem tuentem, semel et iterum exulare compulsus, Romam venit, honorificèque ab Urbano secundo exceptus, Concilio Barensi interfuit, Græcosque ibi, circa processionem Spiritûs Sancti errantes, doctrinæ suæ robore coërcuit. Tandem sub Paschale secundo, qui successit Urbano, horrenda morte ex humanis sublato Wilhelmo Angliæ Rege, ab Henrico eius fratre in Angliam revocatur, et libertatem Ecclesiæ, pro qua laboraverat, adeptus est. Favit plurimum festivitati conceptionis Virginis Mariæ

Aprilis.

173.

paulò ante in Anglia ab Elpino Abbate
divina revelatione admonito, celebrari
coeptæ, de qua etiam egregium edidit
Commentarium. Moritur demum unde-
cimo calendas Maii Anno Domini mille-
simo, centesimo nono, doctrinâ et mira-
culis clarus.

Rx. Iustum deduxit p. f. 35.

Die 23. April.

S. Georgii Mart: dup.

Oratio. *ut in Breu.*

~~Deus, qui nos beati Georgii Martyris tui
meritis et intercessione lætificas: concede
propitius; ut, qui tua per eum beneficia pos-
cimus, dono tuæ gratiæ consequamur. Per
Dominum.~~ *iam est in Veteri Breu.* ¶ Absolut: Ipsius pietas p
¶ Benedic: Deus Pater p

In II. Noct: Lect: V.

Sermo S. Iustiniani Episcopi.

Georgius propugnator eximius terrenæ ab-
renuntiavit militiæ, ut Christi miles efficeretur

egregius: facultates quas habebat, disper-
 sit pauperibus, ut divitias perennes pos-
 sideret in cælo: suam quoque animam
 odivit in mundo, ut in vitam illam custo-
 diret æternam. Repèrerat prætiosam
 Margaritam latitantem in agro, per quod,
 distractis omnibus, mercatus est eam. Do-
 minum dixisse audierat: Nisi quis renun-
 tiaverit omnibus, quæ possidet, non po-
 test meus esse discipulus: prætulit disci-
 pulatum Christi opibus, honoribus, volup-
 tatibus, corpori, et temporali vitæ; idèo
 intrepidus, armatus, et nudus secutus
 est Christum. Non carceres, gladios, —
 fustes, vincula, aculeos, tortores, ignem,
 tyrannos expavit, nec mortem: nudus nu-
 dum Christum attendebat in stipite, illius
 accendebatur exemplo, eiusque passionis
 doloribus angebatur. O beata mens Mar-
 tyris, quæ nec tribulatione, nec angustia

Aprilis.

175.

nec plagis, nec laboribus, nec presentibus,
nec futuris à Christo valuit separari.

R. Lux perpetua lucebit Sanctis tuis

Domine, * Et æternitas temporum alle-
luia, alleluia. ✠ Lætitia sempiterna erit

super capita eorum: gaudium, et exulta-
tionem obtinebunt. * Et æternitas.

LECT: VI. Christus perpetuæ p

Vivebat in carne, et corde cum Christo
iam pendebat in cruce, ideoque dicebat
Christo: Cruci confixus sum, vivo ego, iam
non ego, vivit autem in me Christus. Lon-
gè excellentiùs Martyr sic mortuus vive-
bat in Christo, quàm si feliciter florens
alienus esset à Christo. Vides, quàm lo-
cuples talis sit mors, quæ vitam cum Chri-
sto præstat æternam; sic planè mortuus
erat beatus Georgius vivens in Christo.
Mortuus quippe erat vitius, mortuus

Extra Tempus

Paschale R. R.

Sumuntur de

die 21. Januarij

f: 36.

~~quippe erat vitis~~, mortuus erat seculo, mor-
 tuus erat et sibi. Nisi taliter fuisset mortuus,
 minimè Christo vivere potuisset. An non
 mortuus erat seculo, qui oblatas dignita-
 tes, et gaudia pro amore Christi, et spe
 æternæ mercedis repudiavit ut stercora?
 Nonne vitis erat defunctus, qui laboribus, ab-
 stinentiâ, paupertate, virtutibusque cæteris
 corpus quotidiana maceratione domabat? de
 talibus Pauli voce dicitur: Qui autem sunt
 Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitis,
 et concupiscentiis. Quomodo verò sibi ipsi
 vixisse Sanctus iste dicendus est, qui verbum
 Dei circumquaque disseminans, Christi glo-
 riam audientium auribus insonabat? Quos
 auferre valebat diabolo, lucrabatur Christo.
 Magnanimitate namque præcinctus, et chari-
 tatis dono suffultus, coram Regibus, et terra
 Principibus Christum liberam confitebatur voce.
 R. In servis suis alleluia. * consolabitur
 Deus alleluia. ✠. Iudicabit Dominus populum

Aprilis.

177.

Suum, et in servis suis. * consolabitur Deus

Lect: VII. Ignem sui amoris p.

Hinc factum est, ut carceri manciparetur, virgis et scorpionibus cæderetur, lampadarū unctionibus cremaretur, laniaretur, torqueretur, perimeretur. In his, quoniam vivebat in Christo, se exhibebat ut mortuum. Nulla planè in illo quærimonia resonabat vox, nullus repugnandi motus. Tanquam bellator, præcipuus arbitratus est, fore incongruum, ut patiente Rege, atque pro animarum occumbente salute, ipse segniter viveret, et sine certaminis exercitatione deficeret: frequenter animo illud Evangelium revolvebat: Maiorem charitatem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.

R. Filiae Ierusalem venite, et videte martyres cum coronis, quibus coronavit eos Dominus * In die solemnitatis et lætitiæ alleluia. †. Quoniam confortavit seras portarū

tuarum, benedixit filios tuos in te. * In die.
A cunctis vitis ꝑ. Lect: VIII,

Quamobrem dilectionem, quam habebat ad
Dominum, factis maluit ostendere, quam
verbis. Redemptorem utique suum non in-
gratus de munere est immitatus in morte,
de quo ait Propheta: Sicut ovis ad occisio-
nem ductus est, et tanquam agnus coram ton-
dente se sine voce, sic non aperuit os suum,
nisi orando, non aperuit, quatenus Hostia
Deo acceptabilis fieret, ne illi in longani-
mitate patientiæ inveniretur dissimilis,
qui in Crucis perpessione supplicii eloquiū
nullum contradictionis emisit. Hinc gestū
est, ut Domini sui, sicut socius exstitit pœ-
næ, ita particeps illius efficeretur gloriæ,
qui in cœlesti regno cum Patre et Spiritu
Sancto triumphat in secula.

Rx: Lætabitur iustus in Domino, et
sperabit in eo, et laudabuntur. * Omnes
recti corde alleluia alleluia. v. Lætamini

aperuit plane
os suum,

Aprilis.

179.

in Domino, et exultate iusti, et gloriamini.

* Omnes. Gloria Patri. * Omnes.

In III. Noct: Homil: in Evang: Ego sum vitis

vera. de Comuni Mart: Temp: Pasch.

ma. a. cap. de seq. cor. p. d.

* 24. April. S. helii
Se. C. D. il. ut. in. g. p. d.
V. c. x. x. v. i. i. i. i.
L. o. i. n. o. i. l. f. i. l. i. i.

FESTA MAII.

Die 3. Maii.

In Festo Inventionis S. Crucis

Duplex

II. Cl. ass:

Post Hymnum ad Vesperas posita est haec Rubrica: " Dum recitatur Strophæ, quæ incipit:

- " O crux ave spes unica p. genuflectitur; et si
" transferatur festum extra tempus Paschale,
" mutatur secundus eiusdem Strophæ Versus,
" et dicitur: In hac triumphæ gloria.

Item Rubricæ ante 12. lectionem posita hoc adduntur: " nisi occurrant in Dominica, sive
" in feriis II.ª et IV.ª Rogationum.

Reliqua omnia ut in Veteri Breviario.

~~2. Maii~~
In festo S. Athanasij Ep.
die 1. i. Noct: Lect: Sapien-
tiam de Comuni Doct.
h. i. c. p. m. i. a. h. l. i. p. p. l. e. n.
2. l. i. c. i. o. n. e. s. p. e. c. i. a. m.

h. i. c. n. o. t. h. b. l. i. p. p. l. e. n.
2. l. i. c. i. o. n. e. s. p. e. c. i. a. m.